

Johann Sithmann Anton Scheffel


**Exercitatio Iuridica De Emptione Et Venditione ... In regio Pomeranorum  
Gymnasio Praeside ... Dn. Johanne Sithman/ I. U. D. ... Publicae censurae  
submittit Antonius Scheffel/ Wismar. Autor & Respondens. In Auditorio maiori d.  
28. Martii 1656. horis ab 8. matutina consuetis**

Stetini: Goetschius, 1656


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757141951>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





24.

Q. F. F. Q. S.

EXERCITATIO JURIDICA

DE

EMPTIONE

ET

VENDITIONE,

*Quam*

Divinâ favente Gratiâ

In regio Pomeranorum Gymnasio

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo*

*& Excellentissimo*

DN. JOHANNE *Sithman* / J. U. D.

ac Professore Regio, Præceptore & Fautore  
ætatem venerando.


*Publica censura submittit*

ANTONIUS *Scheffel* / VVismar.

Autor & Respondens.

*In Auditorio majori d. 28. Martii 1656.*

*horis ab 8. matutinâ consuëtis.*



STETINI,

Typis Georgii *Gœtschii*, Pæd. Reg. Typogr.

15

VIRO

*Magnifico, Nobilissimo, Excellentissimo  
& Consultissimo*

DN. DAVIDI MEVIO, U. J. D.

Supremi Tribunalis Regii, quod VVismariæ est  
Vice-Præsidi gravissimo.

VIRO

*Excellentissimo, Experientissimo & Clarissimo*

DN. ANTONIO Herzberg / Med. D.

& Reip. patriæ Physico celeberrimo.

VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis & Prudentissimis*

DN. JOHANNI Schumacher /

DN. JOHANNI Köppen /

Inclytæ VVismar. Reipubl. Senatoribus  
dignissimis.

*DNNNS. Mæcenatibus & Fautoribus,  
Patrono, Avunculo, Cognato, Curato-  
ri debitâ animi observantiâ has studii  
sui Juridici primitias dedicat, offert,  
consecrat*

ANTONIUS Scheffel / Aut. & Resp

## PROOEMIUM.

**V**endo vendendo res magnas homines commu-  
nicare constat; nec facile quicquam est in commerciis  
humanis hoc contractu frequentius, notius, dixerim &  
æquabilius: ita ut hunc ipsum Romani, eo nil justius rati,  
omnibus fere solemnitatibus adhibere non dubitarint. Quid enim  
olim imaginaria venditio: Quid secundū æs & libram testari, scienti-  
tiâ juris vel mediocriter imbuto cognitum. Si quid solenne geren-  
dum, familiæ mutandæ, transferendæ, non nisi per emptionum figu-  
ras expediri poterat. His Adoptiones, manumissiones, emancipati-  
ones peragere, matrimonia contrahere, & quæ non cætera? consue-  
verant. Hic ipse contractus est, quo indies Causidicos defatigari,  
tribunalia calere, quem nunquam non disceptandi animum præbere  
videmus. Quæ cum ita sint, non opinor, nos aranearum texturos  
tela, si, pro ingenii modulo, in ejusdem naturam paucis inquiramus.  
Sit ergo, Favente Triade.

### THESIS I.

**E**Mptio & Venditio ad LL. 12. Tabularum relata generaliter  
& latè pro qualibet alienatione accepta omnem compre-  
hendit contractum. *l. 29. §. 1. ff. de stat. liber.* puta, quia, uti  
modo dictum, omnis ferè translatio & mutatio familiæ per  
emptionem, i. e. per æs & libram, imaginariè tamen, celebra-  
batur. Speciatim vero, uti *b. l. pro certa contractus specie usur-*  
*patur, quæ Juri gentium; uti omnes fere contractus §. 1. Inst. de*  
*I. N. G. & C.* ortum debet, originemq; ex *permutatione* cœpit.  
*l. 1. ff. de contr. empt.*

2. Cum enim olim, nummorum nondum invento usu,  
quisq; pro temporis & rerum ratione inutilia utilibus permu-  
taret, quoniam plerumq; usu veniebat, ut, quod huic superes-  
set, alius desideraret, rursus hic haberet, quod illi deesset, neq;  
vero æquale rerum esset pretium, aut proportio, sine qua ta-  
men

A

men



men rerum permutatio fieri nequit, summa necessitas medium invenit, quod rerum vice fungeretur, & mensura vel pondere constans pro rerum varietate augeri, vel minui posset. Electa est igitur materia publicâ formâ, (ne à quolibet privato adulterari queat) insignita, quæ æqualitate quantitatis difficultatem permutationis sublevaret, eaq; vocatâ *pretium*. *Paulus l. 1. ff. de contr. empt.* vocatur hæc materia nummus, isq; varius esse potest; tam ratione materiæ; quam formæ, prout usus introduxit. nulla autem sine nummis fieri potest venditio. *d. l. 1. §. 1. d. tit. l. 2. §. 1. ff. eod.*

3. Emptionis vero & venditionis voculæ duorum diverforum factorum appellationes sunt, sed unus tantum contractus mutuis his factis constans. Qui ut eo melius intelligeretur, singula tum facta, tum personas contrahentes, tum res in contractum deductas specialibus & propriis nominibus denotavit antiquitas. Is, qui tradit, aut traditurus est rem, dicitur *vendere*, composito verbo à *venum* & *do*, ut sit *vendere* quasi *venum dare*, seu *integrè venundare*, i. e. facere, ut res veniat ad eum, cui traditur. Hinc res dicitur *venire*, quasi *venum ire*. Qui tradit rem pro pecunia, dicitur *venditor*, factum venditio. Qui accipit rem venditam, vocatur *emptor* ab *emo*, quasi è meo tuum facio vel *ἐμὸν πρῶτον*; hujus factum emptio. Res veniens dicitur *merx*, quasi *merex*, quod mereat pretium. Hinc mercari pro emere, & res mercales. *Pecuniam*, quæ datur, vocant *pretium* quasi *peritium*, quod à peritis æstimatoribus constitui solet. *Donell. comm. lib. 13. cap. 1.*

4. His pramissis ad rem nos accingimus, merito à Definitione ordientes. Est autem emptio & venditio contractus, §. 2. *Instit. de I. N. G. & C. juris gentium*, l. 1. §. 2. *ff. de contr. empt. nominatus*, l. 7. *ff. de pact. bonæ fidei*, §. *actionum* 28. *Instit. de action. ultro citroq; obligatorius*, l. *Labeo*. 19. *ff. de V. S.* in quo per consensum l. 9. *ff. de Contrab. empt.* res pretio commutantur eo modo,

modo, ut venditor obligetur ad tradendam rem, ejusq; aut transferendum dominum, aut præstandam evictionem; emptor contra ad dandum venditori pretium. *l. 11. §. 2. ff. de actione empt.*

5. Celebratur vel *in scriptis*, vel *sine scriptura*, pro lubitu contrahentium. Hoc modo perfectus est contractus nudò consensu, simulac de re certa, quæ est in Commercio, certò pretiò vendenda & emenda convenerunt contrahentes, quavis neq; traditio facta, neq; pretium numeratum sit, neque arrha intervenerit, *pr. Institut. hoc tit.* adeo, ut alterò contrahentium invitò alter de contractu resilire non possit. *l. 5. C. de obl. & act.*

6. *In scriptis* si fieri velint contrahentes, tum demum perfecta dicitur emptio, quando scriptura omnibus modis adimpleta est, ut nihil desideretur. *Exc. Dn. Pras. Nucl. Inst. hic* hoc est, quando instrumentum, vel à Tabellione aut Notario confectum, vel ab ipsis contrahentibus conscriptum, vel à quovis alio compositum contrahentium manu vel jussu subsignatum est. *vid. Schneidw. late de his disferens Inst. b. l.* Donec enim aliquid Scripturæ deest, pœnitentiæ locus est, & alterutri contrahentium impune à contractu recedere licet, nisi quicquam arrharum nomine datum fuerit *pr. Institut. hoc tit.* ligant namque arrhæ in hoc contractu Scripturâ perficiendo utrumque contrahentem, ut consensus per scripturam modificandus, ac declarandus, perficiatur, non distrahatur.

7. *Arrha, ut loquitur Imper. ibid.* argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Non igitur est de substantia contractus, quasi hic sine illa stare nequeat, vel, *ut loquitur Cajus l. 35. ff. de contr. empt.* quasi sine arrha conventio nihil proficiat, sed ut eo evidentius probari possit, convenisse inter contrahentes de pretio. Natura tamen sua contrahentes constringit arrha, ita quidem, ut celebratâ emptione & venditione sive in

scriptis, sive sine scriptura, emptor non nisi amissâ arrhâ; Venditor, eâ in duplum emptori restitutâ, possint à contractu rescire. *pr. Inst. b. t.* Quod tamen, quoad arrhas, verum putamus in contractu nondum perfecto, vel perfecto quidem (quod regularius accidit) sed ab utraq; parte mutuo disensu rescisso: alias enim contractu hoc omnibus modis perfecto, invitâ parte alterâ omnino non erit integrum pœnitere, licet venditor paratus sit arrhas acceptas in duplum restituere, vel emptor amittere datas. *Exc. Dn. Præses Nucl. Inst. & in Nucl. Pandect. tit. de Contrab. empt. pag. 450. Wesemb. parat. ff. b. t.* Hoc procedit, si arrhæ fuerint datæ simpliciter in argumentum emptionis, secus, si in partem pretii. *Schneidw. hic.* tunc enim non tantum contractus perfectus, sed & ex parte consummatus habendus.

8. Substantialia emptionis & venditionis sunt tria. *Consensus, Merx & Pretium.* Hæc omnia enim nisi interveniant, contractus nullus est, & non magis consistere potest, quam homo sine corpore & anima *Mynsing. hic.* De singulis ordine videamus.

9. *Consensus* contrahentium præprimis necessarius est *l. 9. ff. de contr. empt.* & quidem (1.) Directus in ipsum contractum; nuda namq; promissio de contractu celebrando non facit contractum *Vult. b. t.* (2.) Liber, non coactus, quoniam metu facta emptio rescinditur *l. 1. Cod. de resc. vend. l. 116. ff. de R. I.* (3.) Verus nec simulatus *l. 55. ff. de contr. empt.* (4.) Tam in pretio, quam in re. (Non vero interest, præsentis an absentes vel per literas, vel per nuncium consentiant *§. fin. l. 1. ff. de contr. empt.* neq; verborum solennitas rigoroſe requiritur, modo certò constet de consensu) Non igitur procedit contractus, si vel in pretio, vel in re contrahentes dissentiant *l. 9. ff. eod.* puta, si error totalis sit, vel in corpore, v. g. *Si ego putem me vendere fundum Cornelianum, tu te emere Sempronianum opinareris,* vel in materia & substantia, ut: *si pro vino accetum, es pro auro, plumbum*  
pro

pro argento veniret ff. eod. Secus vero, si error sit tantum partialis vel solo in nomine, cum tamen de re certa constet, vel in nuda qualitate, puta: si aurum Rhenanum quis emisset, ubi se Ungaricum emere censuisset, tunc enim valet quod actum est l. 10. ff. de contrab. empt. quamvis venditor, si scivit, teneatur emptori ad deceptionem: quam rem presus hic non exprimo, sed ad disputationis actum lubentius remitto.

10. Expeditum ergo, emere & vendere non posse, qui consentire nequeunt, vel aliàs lege aut naturâ à contractibus prohibentur. Natura à contractu nostro arcentur (1.) Furiosus propter defectum consensus; hic enim cum actum rei non intelligat, nullum negotium gerere potest l. 5. ff. de R. I. §. 8. Inst. de inutil. stip. nisi forte dilucidi intervalli tempore, tunc enim non tantum emere, sed & quemvis contractum recte celebrare potest. (2.) Infans. Hujus enim, cum adhuc iudicio destituatur, eadem ferè habetur ratio cum furioso, non solum in contractibus, verum & in delictis, quoniam hunc fati iniquitas, illum consilii excusat innocentia l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sic. l. 5. ff. de R. Jur. (3.) Mente captus & summe ebrius: Non abs re enim hic illi comparatur, quamdiu mens exulat, cum in ejusmodi ebrio nullus sit sanæ rationis usus, nullus consensus, sine quo contractus omnis inanis est.

11. Lege prohibentur (1.) Pupillus sine Tutoris, & minor sine Curatoris autoritate. l. 5. ff. de R. J. l. 3. C. de in integr. rest. min. nisi rem suam fecerint meliorem pr. Inst. de Autor. Tut. l. 5. ff. eod. (2.) Prodigus, cui bonis interdictum est. Hic namq; consensum quidem, sed non LL. conformem habet. l. 6. ff. de Verb. obl. (3.) Pater & Filius familias emptionem regulariter non contrahunt l. 2. ff. de contr. empt. sicut nec Dominus & servus, quia, ut inquit Mynsing. Inst. de inutil. stip. & Excell. Dn. Praeses in Nucl. Inst. pag. 510. & 511. contractus non est nisi inter duos, vel plures, pater autem & filius, uti & Dominus & servus, fictione

A 3

qvadam

quodam juris, ad invicem relati una persona esse videntur. In bonis vero *castrensibus* & quasi *castrensibus*, item in *adventitii* illis, quorum pater usum fructum non habet, recte contrahunt, quia in his filius loco patris familias habetur. (4.) Nec inter *Tutorem* & *pupillum* emptio & venditio regulariter procedit, §. *fin. l. 34. ff. de contr. empt.* nisi Tutor bona pupilli, quæ servando servari nequeunt, decreto Judicis & consensu Contutoris interveniente bonâ fide, justòq; pretiò emat. *l. 5. ff. de aut. tut. l. 5. C. de prad. min.* alias non tantum rem venditam amittit, sed & in quadruplum convenitur. *l. 46. ff. de contr. empt.* Idem juris est in quolibet administratore publico & privato. *ff. eod. (5.) Mulier* quoq; ex observantia juris civilis & Lubecensis sine consensu mariti vel litis Curatoris pro lubitu emere & vendere non potest, nisi sit *mercatrix*. *Jur. Lub. lib. 3. tit. 6. §. 13. & 31.*

12. Stante ergo consensu necessario, nemo regulariter ad emendum & vendendum cogi potest *l. 11. 13. 14. Cod. de contr. empt. l. 16. C. de jur. delib.* Contractus siquidem ab initio sunt voluntatis, & postea fiunt necessitatis *l. 5. Cod. de obl. & act.* quilibet tamen rerum suarum legitimus est moderator & arbiter. *l. 21. Cod. mand.* verum limitationem certis in casibus hanc regulam admittere indubium est. (1.) cum *Dominus servum*, in quem nimis duram, exercuit scævitiâ, bonis conditionibus vendere jubetur §. 2. *Inst. de iis qui sunt sui vel alien.* (2.) Is qui *emebat* olim filium à patre tempore famis, restitutò pretiò eum relaxare cogebatur. *l. 2. C. de patr. qui fil. distr.* (3.) *Caritate urgente*, quispiam à Magistratu ad annonam & victualia, nisi ipse pro sustentanda indigeat familia, temperatò pretiò vendenda compelli potest: victualia etenim tempore necessitatis debent esse communia. Unde & à furti excusatur pœna, qui summâ cogente fame panem furatus est *vid. Schneidw. hic.*

13. Sunt &, qui ad emendum cogi possunt, v. g. (1.) *Heres* jussu Testatoris fundū legatarii emere tenetur *l. 66. ff. de Leg. 1.*  
idq;

idq; favore ultimæ voluntatis, cum voluntas Testatoris ipsi lex sit *cap. 2. Novell. 22. de nuptiis* (2.) Minante *caritate* pro ea evitanda quæquam ad emendum frumentum & necessaria Magistratus Autoritas compellere potest. *Schneidw. hic.* (3.) Qui partem fundi emit pro *indiviso*, si ante traditionem Judicium communi dividendo accipere ei contigerit, eiq; totus fundus fuerit adjudicatus, compellitur etiam alteram partem emere. *l. 13. §. 17. de act. empt.* Tantum de consensu.

14. Alterum requisitum emptionis & venditionis diximus esse *mercem*, seu *rem vendendam*. Hanc vero Emptori Venditor soluto pretio, vel datâ de eo satisfactione, statim & quidem præcise, modò tradendi habeat facultatem, tradere tenetur. *l. 11. §. 2. l. 30. ff. de act. empt.* alioquin, si solvat quod interest, regulariter liberatur. Sub emptionem vero & venditionem cadunt omnes omnino res, quæ haberi & possideri possunt, tam corporales, quam in corporales, extantes, futuræ (modo futuræ certò sperentur,) propriæ & alienæ, exceptis, quas vel natura, vel gentium jus, lex vel mores civitatis commercio exuerunt *uti loquitur Paulus l. 34. §. 1. ff. de contr. empt.*

15. Emi igitur vendiq; nequeunt (1.) *Res sacra & Ecclesiastica* (nisi extrema urgeat necessitas, insigni succedente utilitate, & in causis, quas refert *Novell. 7. & Authent. Hoc jus. Cod. de SS. Ecclesiis*) *Sanctæ, religiosæ, publicæ* §. *fin. Inst. hoc tit. Universitatis l. fin. Cod. de vend. reb. civit.* quas tamen res si quis à venditore deceptus ignorans emerit, eatenus valet contractus, ut venditor emptori ad *interesse* teneatur §. *fin. Inst. b. t.* (2.) *Libero homo*. Libertas enim inestimabilis res est *l. 106. ff. de R. J. hominis tamen liberi 20. annis majoris seipsum vendentis venditio olim in facto contingenti permittebatur; verum huic libertatis suæ rei inestimabilis contemptori, ob pœnam demeritam nulla concedebatur ad pristinam libertatem proclamatio l. 1. l. 3. 4. 5. ff. Quib. ad libertat. proclam. non lic.* (3.) *Rei furtivæ & vi possessæ*

sesa inter scientes nullum est commercium *l. 34. §. 3. de contr. empt.* neq; inter ignorantes rei furtivæ efficax est emptio & venditio, quia nec usucapi potest, propter vitium quod est *in re §. 2. Instit. de empt.* adeoq; emens rem furtivam, sine ulla pretii refusione tenetur illam vero Domino restituere: imputet enim sibi, quod non cautius mercatus fuerit *l. incivilem C. de furtis.* (4.) *Bona minorum & pupillorum immobilia*, non, nisi necessitate & gravi ære alieno urgente, nec sine cognitione Judicis, sicut nec mobilia, quæ servando servari possunt, sine decreto ejusdem, vendi à Tutoribus, vel Curatoribus vel ipsis pupillis possunt. *tot. tit. Cod. de pr. ad. min.* quamvis immobilia, quæ pater in testamento expresse voluit alienari, & mobilia, quæ servando servari nequeunt, etiam sine cognitione Judicis alienari nihil vetet. *l. 1. 3. §. fin. Cod. quando decret. opus non est vid. Schneidw. Instit. de aut. Tutor.* (5.) *Res dotales immobiles, & mobiles, quæ servando servari possunt, maritus citra necessitatem etiam consentiente uxore, vendere prohibetur pr. Inst. quib. alien. lic. vel non* quia Reip. interest, fœminas esse dotatas, & dotes mulieribus conservari. *l. 1. ff. solut. matr.* (6.) *Feudum sine consensu Domini & agnatorum Vasallus, Const. Frid. & Lothar. tit. 52. 59. lib. 2. feud. ut & Emphyteuta non requisito Domino, Emphyteus in l. fin. Cod. de jur. Emphyt.* vendere prohibetur. (7.) *Arma vel virtualia* hostibus imperii qui vendunt pœna capitali plectuntur, cum bonorum confiscatione *l. 2. Cod. quæ res export. non poss.* (8.) *Venditio rei litigiosæ §. 1. l. 1. ff. de litig. l. fin. C. eod. & mali veneni, nisi in bonos usus adhibere velit emptor l. 35. §. venen. ff. de contr. empt.* Item venditio & emptio domuum negociandi causa destruendarum, (ne ruinis aspectus civitatis deformatur,) prohibita est *l. 52. ff. de contr. empt. Vid. tot. tit. Cod. quæ res ven. non possunt.*

16. *Pretium*, utpote sine quo nulla emptio esse potest *pr. Inst. h. t.* à parte emptoris intervenire debet, in venditorem trans-

transferendum. Observandæ verò circà hoc ipsum duæ sunt cautiones. I. ut sit *certum*. II. ut consistat in *numerata pecunia*.

17. *Certum* debet esse pretium & determinatum, (quandiu enim non definitum est, nulla nascitur obligatio,) sive in conventionem quantitas absolute exprimat à contrahentibus ipsis, vel à tertio aliquo, cujus arbitrio consensu contrahentium definitio permisa est, quicquid velit & possit ita, ut à contrahentibus approbetur, definire, §. 1. *Inst. b. t.* *Certum* autem dici nequit pretium, quando contrahentes in aliud tempus, vel prout æquum & justum videbitur, definiendum differunt, vel arbitrio alicujus indefinite permittunt. v.g. *Quanti* hic, vel ille, vel alius rem æstimaverit, sive, quanti æstimabitur, tantum habebis loco pretii: Redditur namque hoc pacto contractus illusorius, cum, semper adhuc hærente disceptatione de æstimatore, contrahentes non possint consentire, resque foret sine exitu propter naturalem hominum ad disentiendum facilitatem, uti dicitur l. 7. §. 6. ff. de *recept. qui arbitri*. Constitui ergo debet arbitrator nominatim expressus, & ejus pronuntiationi acquiescendum §. 1. *Inst. de empt. & vend.* si ex æquo fuerit arbitratus, & justum meriti; æquipoollens constituerit pretium, secus si injustum & iniquum, tunc enim ad Judicem, qui æquitatem decernat, recurrendum. *Schneid. hic.*

18. In numeratâ porrò pecunia pretium consistere debere diximus, non in re alia. Hoc enim si fiat, contractus non emptionis & venditionis, sed permutationis nomine salutandus erit l. 1. §. 1. ff. de *contr. empt.* Nihil tamen prohibet, quominus pro pecunia pretii nomine debitâ volenti venditori alia quæpiam res, manente nihilominus emptionis & venditionis contractu, solvi possit l. 9. *Cod. de rescind. vendit.* modo in perfectione contractus ab initio pretium à contrahentibus in numerata pecunia definitum sit. Tantum de substantialibus contractus nostri dixisse sufficiat.

B

19. Con-



19. Contrahi autem potest emptio & venditio vel *pure*, quando simpliciter, sine adiectione qualitatibus aut conditionis alicujus rei conveniunt contrahentes; & sic statim perfectus intelligitur contractus, & tenetur emptor numerare pecuniam, & venditor rem tradere. In omnibus enim obligationibus, in quibus dies non ponitur, presentis die debetur *l. 14. ff. de R. l. vel, sub conditione*, veluti *si equus iste intra octiduum tibi placuerit, emptus tibi sit triginta florenis*, §. 4. *Inst. h. t.* Hoc modo, non nisi adimpleta conditione perfectus est contractus. Dies autem adjectus non suspendit obligationem, sed tantum traditionem & consummationem contractus, nisi habeat admixtam *conditionem*.

20 Emptione igitur & Venditione perfecta, statim periculum & commodum rei venditæ ad emptorem spectat §. 3. *Instit. de empt. & vendit.* Sed notandum, procedere regulam (1.) in emptione *pure* & *sine scriptis* contracta; in ea enim, quæ *in scriptis* vel *sub conditione* facta est, periculum & commodum non, nisi scriptura vel conditione adimpleta emptoris est *l. 7. ff. de contr. empt. l. 4. C. de peric. & com. rei vendit.* sed interea manet penes venditorem. Quod si igitur pendente conditione res plane *perierit*, venditoris; si *deteriorata* fuerit, emptoris damnum est *vid. l. 8. vers. quod si pend. ff. de peric. & com.* (2.) Si res in specie emptæ fuerit, v. g. *hic equus, hic servus*: fecus, si in genere, ut: *Vendo tibi equum, servum*, in genere. Hoc enim casu periculum est penes venditorem, estque ratio, quia genus perire non potest *l. 11. Cod. si cert. pet.* (Notabis verò, Genus & Speciem aliter *ICTos*, aliter Philosophos *usurpare*, cum, quod his Individuum, id illis species; quod his species, id illis Genus vocitetur.) (3.) In rebus, quæ *pondere, numero & mensura* constant, non prius, quam appensæ, numeratæ & admensæ sunt, cum nec earum emptio antea sit perfecta *l. fin. Cod. de peric. & commod.* (4.) Nisi emptio

ptio sit alternativa, v. g. Emptus sit mihi Stichus, aut Pamphilus; stat jam pro venditoris arbitrio, quem ex his tradat: uno mortuo, dandus qui superest: prioris namq; periculum venditorem, posterioris emptorem respicit, sed & si pariter deceserint, pretium debebitur, unus enim ntiqve periculo emptoris vixit *l. 34. §. 6. ff. de contr. empt.* (5.) Nisi venditor periculum & custodiam in se susceperit, §. 3. *Institut. h. t.* Ex natura enim hujus contractus Venditor, si non susceperit custodiam, tenetur tamen emptori de dolo, lata & levi culpa *l. 3. ff. de peric. & com.* Quodsi vero custodiam ex pacto in se susceperit, tenetur etiam de levisima, quamvis non de fortuito casu, nisi expressâ illius mentione factâ. *Schneidw. bic.* (6.) Nisi tandem res dolo, latâ & levi culpa venditoris interierit §. 3. *Instit. de empt.* vel nisi in morâ Venditor fuerit, ita, ut per eum steterit, quo minus traditio facta sit, cum interpellatus non tradiderit rem venditam. Hac namq; ratione periculum Venditoris erit, susq; deq; habitâ illâ distinctione, utrum res vendita eodem modo apud emptorem periisset, quo apud morosum Venditorem: idq; in odium moram neccentium. *Schneidw.* Quando vero uterq; in mora fuit, ejus damnum erit, qui ultimam moram commisit, cum postrema mora noceat. *l. 17. ff. de peric. & com.*

21. Esto ergo, pro firmanda & concludenda priori thesi, nostra asertio: Omne periculum post perfectam emptionem & venditionem esse emptoris, si præter dolum, latam & levem culpam venditoris res casu fortuito, quem in se non recepit, nec ei causam dedit, perierit, ita, ut precium, si nondum sit numeratum, nihil minus numerari ac solvi venditori debeat, & si sit numeratum, non possit repeti: Ipsum autem Venditorem plane esse liberatum, ac si rem ritè tradidisset.

22. Emptioni & Venditioni naturaliter inest *Evisctio*, licet ab initio contractus contrahentes illius nullam fecerint

mentionem *l. 6. Cod. de Evict.* Cum autem variis modis Evictionis præstatio retardari queat, poterit providus Emptor, quo securior sit, ut Venditor semper de illa teneatur, id agere, ut per Instrumentum venditionis Venditor obligetur, se velle generaliter pro omni Evictione teneri, qualitercunq; contingat. *Excell. Dn. Pras. Nucl. Inst. de empt. & Vend.*

23. Est autem evictio, desiniente Wesembecio, *Paratit. de Evict.* rei nostræ, quam Adversarius legitimo titulo acqvisiverat, per judicem recuperatio: vel si mavis; Evictio est rei emptæ, vel aliâ justâ causa acceptæ per sententiam judicis abductio. *Pralaud. Dn. Pras. in Nucl. Pandect. pag. 503.* Utque regulariter de hac venditor teneatur, emptor maturè debet *autorem suum laudare, hoc est* denunciare venditori, moveri sibi litem *l. 21. Cod. de Evict.* Hæc denunciatio tria complectitur, ut scilicet admoneat emptor ipsum venditorem, (1.) quis litem moverit (2.) de re emptæ, (3.) ut ad se defendendum veniat in judicium. Factâ hæc denunciatione venditor suis sumptibus in foro & judicio rei conventi emptorem defendere *l. 1. Cod. ubi in rem act.* & re per sententiam ritè evictâ, sive tota, sive pro parte, pretium & interesse restituere tenetur.

24. Dantur tamen tres potissimum casus, qui ab Evictionis præstatione venditorem liberant, puta. (1.) Si motam litem emptor non denunciaverit. (2.) Si judex iniquam ferat sententiam. (3.) Si emptor absens à judicio condemnetur.

25. Refertur huc *Ædilitium Edictum* ex quo, ob rerum venditarum vitia, rei emptæ redhibitio fit, vel quanti minoris restituitur supplementum. Vitia vero h. l. intelliguntur corporis non animi (de his enim agitur ex empto, *l. 1. §. pen. l. 4. §. 3. & seqq. ff. b. t.*) nisi corpus reddant inutile, aut simul sint corporis, latentia, non manifesta, & quidem emptionis tempore, antea enim si adfuerint, non faciunt Edicto locum; *l. 1. §. pen. ff. eod.* si post illud, damnum est emptoris.

*l. 3. Cod.*

l. 3. Cod. h. t. Quodsi vero dubitetur, num ante vel post em-  
ptionem ortum cœperint, iudicis arbitrio res committenda  
*Scotan. exam. Jurid. h. t.*

26. Est ergo Redhibitio (quasi redhabitio, seu redditio,  
l. 21. ff. h. t.) venditionis resolutio, quâ omnia in integrum  
restituuntur, perinde ac si neq; emptio, neq; venditio inter-  
cessisset: puta, re ab emptore venditori, à venditore empto-  
ri pretiò cum usuris & interesse, omnibusq; accessionibus &  
emolumentis restitutis, damnòq; culpâ datò, reparatò. *Cor-  
vin. ad Instit. de empt. vend. ad quam quæ datur actio, redhi-  
bitoria vocatur.*

27. Supplementum quanti minoris est, quando non  
quidem rescinditur contractus, sed emptori restituitur de pre-  
tio, quanti minoris res valuit, cum emeretur à venditore  
idem licet vitium ignorante. Ad quod data actio *quanti  
minoris & Æstimatoria* vocatur.

28. Cùm autem emptio venditio sit bonæ fidei contra-  
ctus, nihil impedit, quo minus variis pactis circumscribi que-  
at, modo sint honesta, & LL. conformia. Inter alia vero  
præcipuè hæc eminent: *Addictio in diem, Lex Commissaria &  
pactum de retrovendendo.*

29. *Addictio in diem* fit, vel *pure*; ut sc. meliori allatâ  
conditione ab emptione recedatur; quo casu dominium rei  
venditæ absolutè, una cum fructibus transit ad emptorem,  
quamdiu nullus meliorem affert conditionem, adeo, ut omne  
periculum emptor præstet. l. 2. §. 1. l. 4. §. 4. ff. de in diem addict.  
ita tamen, ut meliori oblatâ conditione, si prior emptor no-  
lit adjicere, quod alter posterior adjecturus est, posteriori  
postponatur, & fructus restituere teneatur. l. 8. ff. h. tit. vel  
*sub conditione*, ut perficiatur emptio, nisi intra definitum tem-  
pus melior afferatur conditio. Hac ratione, neq; rei venditæ  
dominium, nec facultas usucapiendi nec fructus ad empto-  
rem

rem priorem transeunt. §. *ex condit. l. 4. ff. h. t.* Vid. luculenter ista explicantem Clariss. Dn. D. Sithman. *ad Tit. de in diem addict. p. 452.*

30. *Lex Commisoria* est pactum, quo convenit, ut, si ad certum diem emptor non solvat pretium, res sit inempta. *l. 2. ff. de L. Commisf.* nihil vero interest, an venditor intra constitutum tempus emptorem interpellaverit, sive non interpellaverit; cum tempus ipsum pro homine interpellare debeat. *l. 12. Cod. de contr. & comm. stipul.* Pretio quoque dicto tempore non soluto liberum est venditori, an velit ex *L. Commisoria* ad repetendam rem agere, vel conventum pretium petere. *l. 4. §. 2. ff. h. t.* Hoc pactum *L. Commisoria* dicimus esse purum & pure contrahi, licet sub conditione resolvatur, *l. 1. ff. de L. Commisf.* Locum autem habet duntaxat in *Emptione*, non in *pignore*, secus tamen esse potest, in pacto hoc ex intervallo appposito.

31. Tertium de *retrovendendo* pactum tale est: Cum venditori ex conventionione conceditur ab emptore, quod si ipse, vel heres ejus voluerit quandocumque, aut intra certum tempus restituere pretium, ut tunc rem suam, quam vendidit, quasi redemptam recipiat. *l. 2. Cod. de pact. inter empt. & vend.* pactum ergo hoc magis personale, quam reale esse, non ambigendum.

32. Maxima cognatio est emptioni venditioni cum locatione conductione, ita, ut non nunquam dubites, ad utrum contractum aliqua conventionis species referenda. *pr. Inst. de Locat. Cond. §. 1. l. 2. ff. locat. conduct.* Verum totam rem unica haec regula planam reddet. *Quotiescunque id agitur, ut ab eo, qui rem praestat, dominium (salva evictione) in eum, qui dat pecuniam transferatur, emptio est: Quando vero nulla fit dominii, sed usus, translatio, locationis genus est. Wesemb. parat. de contr. empt. tum & utriusque contractus natura ex cujusvis manifesto apparet definitione.*

33. Ita quoque nullo negotio à permutatione, cui perquam  
cogna-

2.  
cognata est, dijudicare poteris, si, quid inter contrahentes actum sit, apprime advertas. Quodsi enim certo pretio in numerata pecunia consistente res certa comparata sit, emptionem; sin res pro re data fuerit, permutationem celebratam dices.

34. Finis emptionis venditionis est, ut necessariae res inter homines communicentur, & ut inquit Paulus l. 1. ff. de contr. empt. perpetuam pecuniae aestimatione difficultatibus permutationum subveniatur.

35. Effectus est, quod emptor pretium in venditorem, sic contra dominium rei in emptorem transferre teneatur. Nascitur ex hoc contractu duplex Actio. Empti & Venditi. Illa datur emptori ejusque haeredi contra venditorem ejusque haeredem, ut rem vacuum §. 1. l. 2. ff. de act. empt. una cum fructibus §. 10. l. 13. ff. eod. & accessionibus l. 16. Cod. eod. a tempore contractus perceptis tradat. Haec competit venditori adversus emptorem, ad consequendum, post traditionem rei, pretium, ejusque usuras. Quae insuper a venditore praestanda sint emptori, dictum est in thes. 20. & 21.

36. Superest, ut videamus, quomodo rescindatur Emptio. Hoc fit variis modis, & (1.) quidem, cum nihil tam naturale sit, quam eodem genere, quo quid colligatum est, rursus dissolvi l. 35. ff. de R. L. proclive est, emptionis & venditionis contractum, quia consensu initus est, mutuo dissensu optime dissolvi. Res facilis est ante perfectum contractum poenitere, tunc enim vel unus dissentiens resilire a contractu potest, praesertim in contractu hoc sine scriptura perficiendo. Si autem plane fit consensum, & scriptura plane absoluta, vel arrha data, alterutrius dissensu non dissolvendus est contractus, nisi & alter consentiat, atque sic poenitens vel amittit datas, vel in duplum restituit arrhas acceptas. Re namque amplius non integra, poenitentiae locus non est in contractibus nominatis

natis *Excell. Dn. Praeses Nucl. ff.* partium namq; requiritur consensus & disensus, & retradenda sunt cum arrhis subsecuta *l. 1. § 2. C. de rescind. vend.* A contractu enim utrinq; perfecto non facile receditur, alterò invito, ne quidem ex rescripto Principis *l. 3. C. b. tit.* quod & addit clariss. Dn. Praes. (2.) Rescinditur dolo malo, si scilicet dolus *causam* dederit contractui, *l. 7. ff. de dol. mal.* secus, si incidens sit dolus, tunc enim per ipsum contractum vel emptionem purgatur. (3.) Læsione *ultra dimidium §. 2. Cod. b. t.* iniquum enim est, aliquem locupletari cum alterius damno & jactura, quin & in tam enormi læsione circa pretium videtur committi reipsa dolus *l. 36. ff. de V. O.* Succurri hoc remediò & venditori, & emptori verius est, imò extenditur etiam ad alios contractus. (4.) *Metu*, tali scilicet, qui cadit in constantem virum & mulierem. *l. 1. Cod. de rese. vend. vid. Tit. ff. quod metus causa.* (5.) Tandem *Retractu* etiam solvi solet, cum jure *εγγυησιως* seu prælationis cognati proximi vel vicini rem ab extraneo emptâ refusò eodem pretiò, & sumptibus ab emptore impensis, retrahunt. Retractus hic fieri debet intra annum, quod tempus etiam in Camera, præsertim in allodialibus, est approbatum. Feudum alienatum in remotiorem agnatum itidem intra annum in Jure Feudali est revocandum, alienatum in extraneum si sit, patent revocanti proximiori anni 30. vid. Decius. *Consil. 395. n. 9.*

## MANTISSÆ.

1. *An annui redditus possint vendi? Dist.*
2. *An l. 2. Cod. de rescind. vendit. locum habeat in transactione? Dist.*
3. *An liceat sese invicem in emptionis & venditionis contractu naturaliter circumvenire? Aff.*

SOLI DEO GLORIA.

*Ad Respondentem*

Juvenem sibi carissimum de emptionibus & venditionibus  
publice disputantem.

JOHANNES MICRÆLIUS, D.

**C**um certa rerum quæritur possessio,  
Meum & Tuum sunt certa causa litium,  
Quod hic habet, vult iste. Dumq; hic abnuat  
Dare id, quod alter concupivit: in forum,  
Ad arma, ad vim concurritur. Pax exulat.

Mihi ne meum; tibi ne tuum sint tædio?  
Quibus litibus fincis poterit præscribere?  
Possessiones sunt. Sed si discupis,  
Quod est meum, sit fas, ut emptionibus  
Fiat tuum, Vendam quod emas, Emam tua.  
Contractibus consistant nostra mutuis,  
Possessiones sic qui adornat legibus,  
Ut emundo vendundoq; transferri queant;  
Modusq; certus sit datus his contractibus,  
Ipsi hunc Platoni divo præferam virum,  
Meum & Tuum cui visa causa est litium,  
Quiq; improbavit, quod cuius proprium est.

**E**mtio, venditio quid sit, quo jure modoq;  
Fiat, duq; viris, disleris atq; probas.  
Perbene materiam Tu tractas viribus aptam,  
Ut ratio studit sic manifesta tui.  
Applaudo merito, congrator, & optima quævis  
Comprecor, en! fili, semper amande mihi.  
Ass memor esto simul, quæ, quævis, quætantq; CHRISTI  
Emtio, venditio: hanc crede, beatus eris.

Suo quondam domestico, ob singularem pietatem &  
modestiam, filii instar dilectissimo, honoris  
ergo deprop.

JOACHIMUS FABRICIUS, D.

Vice. Superintendens Regius.

**Q**uæ probitate velit studiis clarescere nosser  
*Scheffelius*, prima hæc pagina scripta refert.  
Virtutem Ingenuam quivis probat ausus honesti  
Solertes propriis ignibus usq; micant.  
Dignâ laude vehi laudatæ est mentis Imago  
Sperni devitat, repere nescit humi.  
Sic tua te Virtus laudatus & ardor honesti  
Ornat *Scheffeli*, te tua facta probant.

Perge



Perge ita constantè studiis clarescere, in uno  
Non subsiste, ultrà plurima scripta refer.

*Vobis amicitia dilectissimo meo Scheffelio jubens admodum  
probo, morato, & docto, Disputationis auctori*

JOAN Schyman / U. J. D. Disputationis Præf.

---

Ad suum Scheffellium.

de Emptione. venditione publice disputantem.

Epigramma.

**H**oc nisi quis tentat vendenda & emenda parata,  
& CHEFFELI, fumum vendet emerg. forq.  
apponeb.

H. SCHÆVIUS, D. Gr. L. ac Pöf. Prof.

---

Syrac. 27.  
v. 2.

**C**eu clavis lapides inter firmusimus haret,  
Mercem intra & pretium sic q'boq. crimen agit:  
Non murum clavis, nisi tortus forcipe, mittit,  
Crimina mercantum tollere id artis erit.  
Tu, Popularis, opus tantum, q'vod gratulor, urges,  
Et mercem & pretium compare lance regis.  
Quid Patria tuleris, nostra q'vid gratius unquam  
Abtraa? jura his q'botidiana placent.

Florentissimo suo Scheffelio amica manu p.

CASPARUS Voigt / Wismar.

---

**N**on lolos mercator, emis vendisq;, cathedra  
Novi. & hanc artem, & vult comes ire foro.

*Suo Antonio Scheffelio deproperab.*

PETRUS Schirmacher / Rupp. March.

---

**P**robe sceneratum est: nam q'vod in te conferunt,  
Modiis refundes mille patria & Tuis.

*Amitino suo svavisf. appr.*

OTTO Herzhberg / Wismariensis.

---

**M**acte piis ausis patriæ spes ardua! in isto  
Magna seges fructus flore sepulta jacee.

*Sanguine mentes, sibi juncto Scheffelio*

HERMANNUS Tand / Wismariensis.

---


**S**ic emis, & merces exponis, patria laudat  
Tam bene mercatum, laudat & alma Themis.

DANIEL GEORG MORHOFF, Wismar.


---


✽(o)✽


?











the scale towards document

VVLGO DIATO die Klapper-Jagd.

33

§. XI.  
Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita  
di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferi-  
a minor, aut media, venatio data est, a nostro ve-  
modo se abstinere debet in locis, vbi ferae maio-  
bentur. Is autem, qui duntaxat superiori, siue ma-  
audet venatione, tali, vice versa, vti nequit in lo-  
i ferae minores, aut mediae, subsistunt. Ratio as-  
uius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmo-  
ationem disturbantur, et in aliena loca extra ban-  
erinum transfugiunt (b). Non debet autem alteri  
per

orum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-  
lem id quoque non facile permittitur, vt, praedio, cui  
venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in lo-  
vnius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea  
es substituuntur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maj.  
4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio ex-  
antur, sunt Confessoria et Negatoria vtilis.

Audiamus ante, quam vltius progredimur, ipsosmet ve-  
res, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc  
me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus  
s concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener  
l. Schwarzburgischer Ober-Förster hiermit auf Begehren,  
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn  
nehm.

E